Nr. 1715. VI. 1905.

# Kirchliches Verordnungs-Blatt

für die

# Lavanter Diöceſe.

**Inhalt.** 44. Litterae encyclicae Pii PP. X. de christiana doctrina tradenda. — 45. Das Officium und Meßformular des hl. Biſchofs und Märtyrers Valentinus, Patrons der Pfarrkirche in St. Valentin bei Süßenheim. — 46. Die Vertretung kirchlicher Inſtitutionen bei Rechtsſtreitigkeiten. — 47. Zur Behandlung des Gebührenäquivalentes in Interkalarrechnungen. — 48. Bekanntgabe der Konſervatoren für das Jahr 1905. — 49. Internationaler Kongreß für gregorianiſchen Geſang in Straßburg. — 50. Zur Frage des Pflanzenſchutzes. — 51. Literatur. — 52. Diöceſan-Nachrichten.

## 44.

## Sanctissimi Domini nostri Pii divina Providentia Papae X. Litterae Encyclicae ad Sacros universi Catholici orbis antistites de Christiana Doctrina tradenda.

VENERABILIBVS FRATRIBVS
PATRIARCHIS PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS ALIISQUE LOCORVM ORDINARIIS CVM APOSTOLICA SEDE PACEM ET COMMVNIONEM HABENTIBVS

### PIVS PP. X.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Acerbo nimis ac difficili tempore ad supremi pastoris munus, in universum Christi gregem gerendum, arcanum Dei consilium tenuitatem Nostram evexit. Inimicus namque homo sic gregem ipsum iam diu obambulat vaferrimaque insidiatur astutia, ut nunc vel maxime illud factum esse videatur, quod senioribus Ecclesiae Ephesi praenuntiabat Apostolus: *Ego scio quoniam intrabunt... lupi rapaces in vos, non parcentes gregi*[1]. — Cuius quidem religiosae rei inclinationis, quicumque adhuc divinae gloriae studio feruntur, causas rationesque inquirunt; quas dum alii alias afferunt, diversas, pro sua quisque sententia, ad Dei regnum in hisce terris tutandum restituendumque sequuntur vias. Nobis, Venerabiles Fratres, quamvis cetera non respuamus, iis maxime assentiendum videtur, quorum iudicio et praesens animorum remissio ac veluti imbecillitas, quaeque inde gravissima oriuntur mala, ex divinarum ignoratione rerum praecipue sunt repetenda. Congruit id plane cum eo, quod Deus ipse per Oseam prophetam dixit: ... *Et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium, inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis, qui habitat in ea*[2].

Et re quidem vera, aetate hac nostra esse quamplurimos in christiano populo, qui in summa ignoratione eorum versantur, quae ad salutem aeternam nosse oportet, communes, eaeque proh dolor! non iniustae sunt quaerimoniae. — Quum vero christianum dicimus populum, non plebem tantum aut sequioris coetus homines significamus, qui saepenumero aliquam ignorantiae excusationem ex eo admittunt, quod immitium dominorum imperio cum pareant, vix sibi suisque temporibus servire queunt: sed illos etiam et maxime, qui etsi ingenio cultuque non carent, profana quidem eruditione affatim pollent, ad religionem tamen quod attinet, temere omnino atque imprudenter vivunt. Difficile dictu est quam crassis hi saepe tenebris obvolvantur; quodque magis dolendum est, in iis tranquille iacent! De summo rerum omnium auctore ac moderatore Deo, de christianae fidei sapientia nulla fere ipsis cogitatio. Hinc vero nec de Verbi Dei incarnatione, nec de perfecta ab ipso humani generis restauratione quidquam norunt; nihil de Gratia, quae potissimum est adiumentum ad aeternorum adeptionem, nihil de Sacrificio augusto aut de Sacramentis, quibus gratiam ipsam assequimur ac retinemus. Peccato autem quid nequitiae insit quid turpitudinis nullo pacto aestimatur; unde nec eius vitandi nec deponendi sollicitudo ulla: sicque ad supremum usque diem venitur, ut sacerdos, ne spes absit salutis, extrema agentium animam

[1] Act. XX, 29.

[2] Os IV, I ss.

momenta, quae fovendae maxime caritati in Deum impendi oporteret, edocendo summatim religionem tribuat: si tamen, quod fere usuvenit, usque adeo culpabili ignorantiâ moriens non laboret ut et sacerdotis operam supervacaneam arbitretur et, minime placato Deo, tremendum aeternitatis viam securo animo ingrediendam putet. Unde merito scripsit Benedictus XIV. decessor Noster: *Illud affirmamus, magnam eorum partem, qui aeternis supliciis damnantur, eam calamitatem perpetuo subire ob ignorantiam mysteriorum fidei, quae scire et credere necessario debent, ut inter electos cooptentur*[1].

Haec quum ita sint, Venerabiles Fratres, quid quaeso mirabimur, si tanta sit modo inque dies augescat, non inter barbaras inquimus nationes, sed in ipsis gentibus quae christiano nomine feruntur, corruptela morum et consuetudinum depravatio? Paulus quidem apostolus ad Ephesios scribens haec edicebat: *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium*[2]. At vero sanctimoniae huic ac pudori cupiditatum moderatori divinarum rerum sapientiae fundamentum posuit: *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes... Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas Dei*[3].

Et plane id merito. Voluntas namque hominis inditum ab ipso auctore Deo honesti rectique amorem, quo in bonum non adumbratum sed sincerum veluti rapiebatur, vix retinet adhuc. Curruptelâ primaevae labis depravata, ac Dei factoris sui quasi oblita, eo affectum omnem convertit ut diligat vanitatem et quaerat mendacium. Erranti igitur pravisque obcaecatae cupiditatibus voluntati duce opus est qui monstret viam, ut male desertas repetat iustitiae semitas. Dux autem, non aliunde quaesitus, sed a natura comparatus, mens ipsa est: quae si germana careat luce, divinarum nempe rerum notitia, illud habebitur, quod coecus coeco ducatum praestabit et ambo in foveam cadent. Sanctus rex David, quum Deum de veritatis lumine laudaret, quod menti hominum indidisset: *Signatum est*, aiebat, *super nos lumen vultus tui, Domine*[4]. Quid porro ex hac largitione luminis sequatur addidit, inquiens: *Dedisti laetitiam in corde meo;* laetitiam videlicet, qua dilatatum cor nostrum, viam mandatorum divinorum currat.

Quod revera ita esse facile consideranti patet. Deum namque eiusque infinitas quas perfectiones nominamus, longe exploratius, quam naturae vires scrutentur, christiana nobis sapientia manifestat. Quid porro? Iubet haec simul summum ipsum Deum officio *fidei* nos revereri, quae mentis est; *spei* quae voluntatis; *caritatis* quae cordis: sicque totum hominem supremo illi Auctori ac Moderatori mancipat. Similiter una est Iesu Christi doctrina, quae germanam praestabilemque homines aperit dignitatem, quippe qui sit filius Patris caelestis qui in caelis est, ad imaginem eius factus cumque eo aeternum beateque victurus. At vero ex hac ipsa dignitate eiusdemque notitiâ infert Christus debere homines se amare invicem ut fratres, vitam heic degere, ut lucis filios decet, *non in commessationibus, et ebrietatibus; non in cubilibus, et impudicitiis; non in contentione, et aemulatione*[1]; iubet pariter omnem sollicitudinem nostram proiicere in Deum, quoniam ipsi cura est de nobis; iubet tribuere egenis, benefacere iis qui nos oderunt, aeternas animi utilitates fluxis huius temporis bonis anteponere. Ne autem omnia singulatim attingamus, nonne ex Christi institutione homini superbius audenti demissio animi, quae verae gloriae origo est, suadetur ac praecipitur? *Quicumque... humiliaverit se..., hic est maior in regno caelorum*[2]. Ex ea prudentiam spiritus docemur, qua prudentiam carnis caveamus; iustitiam, qua ius tribuamus cuique suum; fortitudinem, qua parati simus omnia perpeti, erectoque animo pro Deo sempiternaque beatitudine patiamur; temperantiam denique, qua vel pauperiem pro regno Dei adamemus, quin et in ipsa cruce gloriemur, confusione contempta. Stat igitur, ab christiana sapientia, non modo intellectum nostrum mutari lumen, quo veritatem assequatur, sed voluntatem etiam ardorem concipere, quo evehamur in Deum cumque Eo virtutis exercitatione iungamur.

Longe equidem absumus ut ex his asseramus, pravitatem animi corruptionemque morum non posse cum religionis scientia coniungi. Utinam non id plus nimio probarent facta! Contendimus tamen, ubi crassae ignorantiae tenebris sit mens circumfusa, nullatenus posse aut rectam voluntatem esse aut mores bonos. Apertis namque oculis si quis incedat, poterit ille sane de recto tutoque itinere declinare: qui tamen caecitate laborat, huic periculum certe quidem imminet. — Adde porro: corruptionem morum, si fidei lumen penitus non sit extinctum, spem facere emendationis; quod si utrumque iungitur et morum pravitas et fidei ob ignorationem defectio, vix erit medicinae locus, patetque ad ruinam via.

Quum igitur ex ignorantia religionis tam multa tamque gravia deriventur damna; alia vero ex parte, quum tanta sit religiosae institutionis necessitas atque utilitas, frustra enim christiani hominis officia impleturus speratur qui illa ignoret: iam ulterius inquirendum venit, cuius demum sit perniciosissimam hanc ignorantiam cavere mentibus, adeoque necessaria scientia animos imbuere. — Quae res, Venerabiles Fratres, nullam habet dubitationem: gravissimum namque id munus ad omnes pertinet, quotquot sunt animarum pastores. Hi sane, ex Christi praecepto, creditas sibi oves agnoscere tenentur ac pascere; pascere autem

[1] Instit. XXVI, 18. — [2] Ephes. V, 3 s. — [3] Ep es V 15. ss. — [4] Ps. IV, 7.

[1] Rom. XIII, 13. — [2] Matth. XVIII, 4.

hoc primum est, docere. *Dabo vobis,* sic nempe Deus per Ieremiam promittebat, *pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ*[1]. Unde et Apostolus Paulus aiebat: *Non... misit me Christus baptizare sed evangelizare*[2], indicans videlicet primas eorum partes, qui regendae aliquo modo Ecclesiae sunt positi, esse in instituendis ad sacra fidelibus.

Cuius quidem institutionis laudes persequi supervacaneum ducimus, quantique ea sit apud Deum ostendere. Certe miseratio, quam pauperibus ad levandas angustias tribuimus, magnam a Deo habet laudem. At longe maiorem quis neget habere studium et laborem, quo, non fluxas corporibus utilitates, sed aeternas animis docendo monendoque conciliamus? Nihil profecto optatius, nihil gratius queat Iesu Christo animarum servatori accidere, qui de se per Isaiam professus est: *Evangelizare pauperibus misit me*[3].

Hic tamen praestat, Venerabiles Fratres, hoc unum consectari atque urgere, nullo sacerdotem quemlibet graviori officio teneri, nullo arctiori nexu obligari. Etenim in sacerdote ad vitae sanctimoniam debere scientiam adiici, quis neget? *Labia... sacerdotis custodient scientiam*[4]. Atque illam reapse severissime Ecclesia requirit in iis qui sint sacerdotio initiandi. Quorsum id vero? Quia scilicet ab eis divinae legis notitiam christiana plebs expectat, illosque ad eam impertiendam destinat Deus: *Et legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est*[5]. Quamobrem Episcopus, in sacra initiatione, sacerdotii candidatos alloquens: *Sit,* inquit, *doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sint providi cooperatores ordinis nostri; ut in lege sua die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant*[6]. Quod si nemo est sacerdos, ad quem haec non pertineant, quid porro de illis censebimus, qui, nomine ac potestate curionum aucti, animarum rectoris munere, vi dignitatis et quodam quasi pacto inito, funguntur: Hi quodammodo pastoribus et doctoribus sunt accensendi, quos dedit Christus ut fideles iam non sint parvuli fluctuantes, et circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum; veritatem autem facientes in caritate, crescant in illo per omnia, qui est caput Christus[7].

Quapropter sacrosancta Tridentina Synodus, de animarum pastoribus agens, officium eorum hoc primum et maximum esse edicit, christianam plebem docere[8]. Hinc iubet illos, dominicis saltem diebus festisque sollemnioribus, de religione ad populum dicere, sacri vero Adventus tempore et Quadragesimae quotidie, vel saltem ter in hebdomada. Neque id modo: addit namque teneri parochos, eisdem saltem dominicis festisque diebus, per se vel per alios, in fidei veritatibus erudire pueros, eosque ad obedientiam in Deum ac parentes instituere. Quum vero sacramenta fuerint administranda, praecipit, ut qui sunt suscepturi, de eorumdem vi, facili vulgarique sermone, doceantur.

Quas sacrosanctae Synodi praescriptiones Benedictus XIV. decessor Noster, in sua Constitutione *Etsi minime,* sic brevi complexus est ac distinctius definivit: *Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita: alterum, ut festis diebus de rebus divinis sermones ad populum habeant; alterum, ut pueros et rudiores quosque divinae legis fideique rudumentis informent.* — Iure autem sapientissimus Pontifex duplex hoc officium distinguit, sermonis videlicet habendi, quem vulgo Evangelii explicationem vocitant, et christianae doctrinae tradendae. Non enim fortasse desint qui, minuendi laboris cupidi, persuadeant sibi homiliam pro cathechesi esse posse. Quod quam putetur perperam, consideranti patet. Qui enim sermo de sacro Evangelio habetur, ad eos instituitur, quos fidei elementis imbutos iam esse oportet. Panem diceres, qui adultis frangatur. Catechetica e contra institutio lac illud est, quod Petrus Apostolus concupisci sine dolo a fidelibus volebat, quasi a modo genitis infantibus. — Hoc scilicet catechistae munus est, veritatem aliquam tractandam suscipere vel ad fidem vel ad christianos mores pertinentem, eamque omni ex parte illustrare: quoniam vero emendatio vitae finis docendi esse debet, oportet catechistam comparationem instituere ea inter quae Deus agenda praecipit quaeque homines reapse agunt; post haec, exemplis opportune usum, quae vel e Scripturis sacris, vel ex Ecclesiastica historia, vel e sanctorum virorum vita sapienter hauserit, suadere auditores eisque, intento veluti digito, commonstrare quo pacto componant mores; finem denique hortando facere, ut qui adstant horreant vitia ac declinent, virtutem sectentur.

Scimus equidem eiusmodi tradendae christianae doctrinae munus haud paucis invidiosum esse, quod minoris vulgo aestimetur nec forte ad popularem laudem captandam aptum. Nos tamen hoc esse iudicium eorum censemus, qui levitate magis quam veritate ducuntur. Oratores profecto Sacros, qui, sincero divinae gloriae studio, vel vindicandae tuendaeque fidei, vel Sanctorum laudationibus dent operam, probandos esse non recusamus. Verum illorum labor laborem alium praevium desiderat, scilicet catechistarum; qui si deest, fundamenta desunt, atque in vanum laborant qui aedificant domum. Nimium saepe orationes ornatissimae, quae confertissimae concionis plausu excipiuntur, hoc unum assequuntur ut pruriant auribus; animos nullatenus movent. E contra catechetica institutio, humilis quamvis et simplex, verbum illud est, de quo Deus ipse testatur per Isaiam: *Quomodo descendit imber, et nix de caelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et*

[1] Ier. III, 15. — [2] I. Cor. I, 17. — [3] Luc. VI, 18. — [4] Malach. II, 7. — [5] Ib. — [6] Pontif. Rom. — [7] Ephes. IV, 14. 15. — [8] Sess. V. cap. 2 de ref.; Sess. XXII. cap. 8; Sess. XXIV. cap. 4 et 7 de ref.

*germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud*[1]. — Similiter arbitrandum putamus de sacerdotibus iis, qui, ad religionis veritates illustrandas, libros operosos conscribunt; digni plane qui ideo commendatione multa exornentur. Quotus tamen quisque est, qui eiusmodi volumina verset, fructumque inde hauriat auctorum labori atque optatis respondentem? Traditio autem christianae doctrinae, si rite fiat, utilitatem audientibus nunquam non affert.

Etenim (quod ad inflammandum studium ministrorum Dei iterum advertisse iuverit) ingens modo eorum est numerus atque in dies augetur, qui de religione omnino ignorant, vel eam tantum de Deo christianaeque fidei notitiam habent, quae illos permittat, in media luce catholicae veritatis, idololatrarum more vivere. Quam multi eheu! sunt, non pueros dicimus, sed adulta, quin etiam devexa aetate, qui praecipua fidei mysteria nesciant prorsus; qui Christi nomine audito, respondeant: *Quis est, ... ut credam in eum?*[2] — Hinc odia in alios struere ac nutrire, pactiones conflare iniquissimas, inhonestas negotiorum procurationes gerere, aliena gravi foenore occupare, aliaque id genus flagitiosa haud sibi vitio ducunt. Hinc Christi legem ignorantes, quae non modo turpia damnat facinora, sed vel ea cogitare scienter atque optare; etsi forte, qualibet demum de causa, obscoenis voluptatibus fere abstinent, inquinatissimas tamen cogitationes, nulla sibi religione iniecta, suscipiunt; iniquitates super capillos capitis multiplicantes. — Haec porro, iterasse iuvat, non in agris solum vel inter miseram plebeculam occurrunt, verum etiam ac forte frequentius inter homines amplioris ordinis, atque adeo apud illos quos inflat scientia, qui vana freti eruditione religionem ridere posse autumant et *quaecumque quidem ignorant, blasphemant.*[3]

Iam, si frustra seges e terra speratur quae semen non exceperit, quî demum bene moratas progenies expectes, si non tempore fuerint christiana doctrina institutae? — Ex quo colligimus iure, quum fides id aetatis usque eo languerit ut in multis pene sit intermortua, sacrae catechesis tradendae officium vel negligentius persolvi, vel praetermitti omnino. Perperam enim ad habendam excusationem quis dixerit, esse fidem gratuito munere donatam nobis atque in sacro baptismate cuique inditam. Equidem utique quotquot in Christo baptizati sumus fidei habitu augemur; sed divinissimum hoc semen non *ascendit... et facit ramos magnos*[4] permissum sibi ac veluti virtute insita. Est et in homine, ab exortu, intelligendi vis: ea tamen materno indiget verbo, quo quasi excitata in actum ut aiunt,

[1] Is. LV. 10, 11. — [2] Ioan. IX, 36. — [3] Iud. 10. — [4] Marc. IV, 32.

exeat. Haud aliter christiano homini accidit, qui, renascens ex aqua et Spiritu Sancto, conceptam secum affert fidem; eget tamen Ecclesiae institutione, ut ea ali augerique possit fructumque ferre. Idcirco Apostolus scribebat: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*[1]; institutionis autem necessitudinem ut ostenderet, addit: *Quomodo... audient sine praedicante?*[2]

Quod si, ex huc usque explicatis, religiosa populi eruditio quanti momenti sit ostenditur, curae Nobis quam quod maxime esse oportet, ut Doctrinae sacrae praeceptio, qua, ut Benedicti XIV. decessoris Nostri verbis utamur, ad Dei gloriam et ad animarum salutem nihil utilius est institutum[3] vigeat semper aut, sicubi negligitur, restituatur. — Volentes igitur, Venerabiles fratres, huic gravissimo supremi apostolatus officio satisfacere, atque unum paremque morem in re tanta ubique esse; suprema Nostra auctoritate, quae sequuntur, in dioecesibus universis, observanda et exequenda constituimus districteque mandamus.

I. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium, pueros et puellas de iis, quae quisque credere agereque debeant ad salutem adipiscendam, ex chatechismi libello erudiant.

II. Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad Sacramenta Poenitentiae et Confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione.

III. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimae atque aliis, si opus erit, diebus post festa Paschalia, aptis praeceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent.

IV. In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen Congregatio Doctrinae christianae. Eâ parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio gloriae Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.

V. Maioribus in urbibus, inque iis praecipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholae religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianae institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur.

VI. Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac puerilis religiosa eget institutione; parochi universi ceterique animarum curam gerentes, praeter consuetam homiliam de Evangelio, quae festis diebus omnibus in parochiali Sacro est habenda, eâ horâ quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illâ tantum

[1] Rom. X, 17. — [2] Ib. 14. — [3] Constit. *Etsi minime,* 13.

exceptâ qua pueri erudiuntur, chatechesim ad fideles instituant, facili quidem sermone et ad captum accommodato. Qua in re Catechismo Tridentino utentur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quae de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de praeceptis Ecclesiae.

Haec Nos quidem, Venerabiles Fratres, auctoritate apostolica constituimus et iubemus. Vestrum modo erit efficere ut, in vestra cuiusque dioecesi, nullâ morâ atque integre executioni mandentur; vigilare porro et pro auctoritate vestra cavere, ne quae praecipimus oblivioni dentur, vel quod idem est, remisse oscitanterque impleantur. Quod ut reapse vitetur, illud assidue commendetis et urgeatis oportet, ut parochi ne imparati catechesis praeceptiones habeant, sed diligenti prius adhibita praeparatione; ut ne loquantur humanae sapientiae verba, sed, *in simplicitate cordis et sinceritate Dei,*[1] Christi exemplum sectentur, qui quamvis *abscondita* eructaret *a constitutione mundi,*[2] loquebatur tamen omnia *in parabolis ad turbas et sine parabolis non loquebatur eis*[3]. Id ipsum et Apostolos, a Domino institutos, praestitisse novimus; de quibus Gregorius Magnus aiebat: *Curaverunt summopere rudibus populis plana, et capabilia non summa atque ardua, praedicare*[4]. Ad religionem autem quod attinet, homines magnam partem rudibus, hac tempestate nostra, sunt accensendi.

Nolimus porro, ne ex eiusmodi simplicitatis studio persuadeat quis sibi, in hoc genere tractando, nullo labore nullaque meditatione opus esse: quin immo maiorem plane, quam quodvis genus aliud, requirit. Facilius longe est reperire oratorem, qui copiose dicat ac splendide, quam catechistam qui praeceptionem habeat omni ex parte laudabilem. Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et eloquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, numquam se de christiana doctrina ad pueros vel ad populum cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tarditate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario, quo quis rudiores nactus sit auditores, eo maiore studio ac diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, ad obtusiorem imperitorum aciem accommodent, quibus aeque ac sapientibus, ad aeternam beatitatem adipiscendam sunt necessariae.

Iam igitur, Venerabiles Fratres, Mosis verbis, in hac postrema litterarum Nostrarum parte, liceat vos alloqui: *Si quis est Domini, iungatur mihi.*[1] Advertite, rogamus quaesumusque, quanta animarum clades ex una divinarum rerum ignoratione veniat. Multa forte utilia planeque laudatione digna, in vestra cuiusque dioecesi, sunt a vobis instituta in commissi gregis commodum: velitis tamen, prae omnibus, quanta potestis contentione, quanto studio, quanta assiduitate hoc curare atque urgere, ut doctrinae christianae notitia cunctorum pervadat animos penitusque imbuat. *Unusquisque,* Petri Apostoli utimur verbis, *sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.*[2]

Diligentiam industriasque vestras, beatissima Virgine immaculata intercedente, fortunet vobis Apostolica benedictio, quam, testem caritatis Nostrae ac caelestium gratiarum auspicem, vobis et clero ac populo cuique credito amantissime impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die XV Aprilis MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

**Pius PP. X.**

Nähere Erläuterungen zur voranſtehenden Enzyklika werden ſpäterhin folgen.

[1] II, Cor. I, 12. — [2] Math. XIII, 35. — [3] Ib. 34. — [4] Moral. l. XVII. cap. 26.

[1] Exod. XXXII, 26. — [2] I, Petr. IV, 10.

## 45.

## Das Officium und Meßformular des hl. Biſchofs und Märtyrers Valentinus, Patrons der Pfarrkirche in St. Valentin bei Süſſenheim.

Unter dem 30. November 1903, Z. 131 hat das F. B. Pfarramt zu St. Valentin bei Süſſenheim anher die Anfrage gerichtet, welches Officium und Meßformular am Feſte S. Valentini Episcopi Martyris (14. Febr.), des Patrons der dortigen Pfarrkirche, zu verwenden ſei.

Da dieſer heilige Biſchof und Märtyrer als Patron der Kathedralkirche in Terni (Interamna) in Umbrien verehrt wird, ſo wandte ſich das F. B. Ordinariat unter dem 20. März 1904, Z. 785 an das hochwürdigſte Biſchöfliche Ordinariat in Terni mit dem Anſuchen um Übermittlung je eines Exemplars des Officiums und der Meſſe dieſes Heiligen, erhielt jedoch keine Antwort.

Infolge deſſen richtete es an die hl. Kongregation der Riten das nachſtehende Bittgeſuch um gnädige Beſtimmung, in welcher Weiſe das Officium cum Missa S. Valentini Ep. Mart. zu verrichten ſei, beziehungsweiſe um Übermittlung eines Exemplars des bezüglichen Officiums und der Meſſe.

### Beatissime Pater!

Ego devotissime subscriptus Episcopus Lavantinus Sanctitati Vestrae humillime expono, quod sequitur:

In dioecesi mea Lavantina una existit ecclesia parochialis, dicata sancto Valentino Episcopo et Martyri, qui in Martyrologio Romano die 14. Februarii commemoratur.

Ad hanc ecclesiam fideles e dissitis etiam parochiis peregrinari solent, sanctum Valentinum tamquam auxiliatorem in morbo caduco seu epilepsia venerantes.

Nuper vero parochus huius ecclesiae quaestionem mihi proposuit, quonam modo ipsi recitandum esset officium Patroni ecclesiae parochialis suae et quaenam Missa in festo huius Sancti esset celebranda.

Quum festum s. Valentini Episcopi et Martyris neque in Breviario neque in Missali Romano inveniatur, litteris supplicibus de die 20. Martii 1904 adii officium Episcopale Interamnae (Terni), ubi Sanctus hic speciali modo coli perhibetur, ut transmitteret mihi exemplar officii et Missae de s. Valentino Episcopo et Martyre, sed non accepi responsum.

Quapropter ad Sanctitatem Vestram recurro, humillime supplicans, ut clementissime decernere dignetur, quo modo officium ordinandum et quaenam Missa legenda sit in festo s. Valentini Episcopi Martyris, vel exemplar huius officii et Missae, si existat, mihi benignissime transmitti faciat.

Ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus benedictionem Apostolicam enixe expeto

Sanctitatis Vestrae
humillimus est obsequentissimus filius et famulus

† **Michael,**
Episcopus Lavantinus.

Marburgi, die 14. Octobris 1904.

Auf Grund dieſes Geſuches geſtattete die hl. Riten-Kongregation unter dem 11. November 1904 für die Pfarre St. Valentin bei Süſſenheim den Gebrauch des Officiums und der Meſſe S. Valentini Ep. Mart., wie ſolche im Jahre 1882 für die Diözeſe Term genehmigt worden ſind. Das betreffende Reſkript lautet, wie folgt:

N. 87./g

**Lavantina.**

Ad enixas preces Reverendissimi Domini Michaelis Napotnik, Episcopi Lavantini, Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X. tributis, benigne indulsit, ut a Clero Paraeciae S. Valentini Episcopi Martyris, quae extat intra fines eiusdem Dioeceseos, in festo ipsius Sancti Titularis, die 14. Februarii iuxta Martyrologium Romanum occurrente, in posterum adhiberi valeat Officium cum Missa proprium, quod anno 1882 Dioecesi Interamnen. concessum fuit: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 11. Novembris 1904.

**A. Card. Tripepi,** Pro.-Praef.
**D. Panici,** Archiep. Laodicen., Secret.

Auf dieſen Beſcheid hin erſuchte das F. B. Ordinariat mit dem Schreiben vom 6. Jänner 1905, Z 68 neuerdings bei dem hochwürdigſten B. Ordinariat in Terni um Überſendung des in Rede ſtehenden Officiums und Meßformulars, jedoch auch diesmal vergebens Darum erſuchte es mit der Zuſchrift vom 12. März 1905, Z. 985 den Hochwürdigen Monsignore Dr. Joſef Lohninger, Rektor des Inſtitutes dell' Anima in Rom, Agenten für die Lavanter Diözeſe, er möge bei der hl. Riten-Kongregation eine beglaubigte Abſchrift des erwähnten Officiums und Meßformulars beſorgen und anher übermitteln.

Dies geſchah. Am 4. April 1905 langte eine beglaubigte Kopie dieſes Officiums cum Missa hieramts ein und wird nachſtehend abgedruckt.

## Officium cum Missa proprium in festo S. Valentini Episcopi et Martyris.

In festo S. Valentini Episcopi et Martyris.

Omnia de Communi Unius Martyris praeter sequ.

In I. Vesperis.

Antiphon. de Laudibus.

Hymnus.

Trophaea clara Martyris,
Nomen decusque Praesulis
Laeto Nahertes cantico
Festas ad aras personent.

Athleta mox ut fulgurat,
Numen profanum corruit,
Erroris umbra solvitur,
Arbor salutis emicat.

Illo trahente, mystico
Delentur amne crimina
Editque lympha Virgines
Editque lympha Martyres.

Sacris adauctus infulis
Ovile ditat praelians,
Lupi vel agnos deserant
Vel victi in agnos transeant.

O laxa sursum pectora
Fides coruscans erigat
Opus parentis inclyti
In filiis ne decidat.

Laus et perennis gloria
Patri sit atque Filio,
Sancto simul Paraclito
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Ad Magnificat. Ant. Signa apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis et prodigiis et virtutibus.

Oratio.

Deus, qui Beato Valentino Martyri tuo atque Pontifici pastoralis ministerii sollicitudinem et fidei constantiam

tribuisti: concede, ut qui eius patrocinio munimur in terris, eius quoque consortio aggregari mereamur in caelis. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Lectio I.

De Epistola secunda Beati Pauli Apostoli ad Corinthios. IV, 5.

Fratres, non nosmetipsos praedicamus, sed Iesum Christum Dominum Nostrum; nos autem servos vestros per Iesum. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Iesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; deiicimur, sed non perimus: Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.

Lectio II.

Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum, et nos credimus, propter quod et loquimur: scientes quoniam qui suscitavit Iesum, et nos cum Iesu suscitabit, et constituet vobiscum. Omnia enim propter vos ut gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei.

Lectio III.

De Epistola ad Hebraeos. XIII, 7.

Mementote Praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis quae non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad Eum extra castra improperium Eius portantes.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Valentinus nobilibus et christianis parentibus Interamnae in Umbria natus, post exactam per plurima pietatis argumenta pueritiam, aetate ac virtutibus iam maturus ecclesiasticae militiae nomen dedit; in qua cum quasi lux splendens in dies procederet et cresceret, ac pastorali muneri idoneus appareret, a Beato Feliciano Fulginatensi Antistite, probante Sancto Victore Romano Pontifice, Patriae Episcopus consecratur, aliique nonnulli, quos ipse docuerat, per Domini inspirationem presbyteri sunt ordinati. Cum igitur ecclesiam gubernandam suscepisset, caelesti aspirante gratia, ita vixit, ut non pauci eius disciplina, pietate, ac constantia excellentes viri prodierint, inter quos praecipui Saturninus, Castulus, Magnus ac Lucius, qui omnes consummato martyrio, triumphum gloriae meruerunt. Sancta quoque Agapes ab ipso in doctrina Christi cum pluribus aliis Virginibus victricem martyrii coronam accepit.

Lectio V.

Cum vero, disseminandae fidei studio omnibus evangelium praedicaret, factum est, ut Romam aliquando accedens, ibi patratis miraculis, plurimos ad Iesu Christi agnitionem perduceret, et sanctum Cratonem cum uxore sua, et universa domo baptizaret; quem non multo post consortem etiam cum illis passionis habuit et triumphi. Hoc iniquo animo ferens Placidus Urbis Praefectus, Valentinum post diutinam caedem custodiae mancipavit; cumque nec suasionibus, nec minis a fide Christi dimoveri umquam potuisset, mediae noctis silentio a carcere eiicitur ac demum impii Praesidis iussu decollatus agonem suum feliciter consummavit.

Lectio VI.

Sancti Martyris reliquias Proculus, Ephebus, et Apollonius qui pridem videntes signa, quae fecerat, in Christo crediderant, et sacro fuerant baptismate ab ipso lustrati, Interamnam deferri, et in suburbano agello tumulari religiosissime curaverunt. Nec defuit pietati merces: nam cum vigilias ante sacrum corpus agerent, iussu Leontii Consularis comprehensi gladio caesi sunt. Reddita deinde Ecclesiae pace, ut studium suum Interamnenses cives erga Sanctum Pastorem et Episcopum ostenderent, ex humili aedicula in novam quam construxerant, Basilicam transferri impetrarunt; quam Sanctus Zacharias Romanus Pontifex, compositis in ea cum Luithprando Longobardorum Rege concordiae legibus ac Sanctus Nicolaus primus itidem Romanus Pontifex pretiosis donariis locupletarunt. Hanc vetustate penitus fatiscentem, sub Paulo quinto iterum renovatam, conquisitis undique Sanctorum aliorum Reliquiis, Leopoldus primus Archidux Austriae absolvit, ara maxima, sub qua Sancti Valentini ac ceterorum corpora magna veneratione asservantur munificentissime excitata. Ut autem festum eiusdem Sancti Valentini in civitate ac Dioecesi Fulginatae a clero saeculari et regulari celebraretur, Clemens decimus tertius benigne concessit.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 10. b.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

Homilia sancti Ioannis Chrysostomi.

Homil. 34. in Matth. post initium.

Cum Dominus omnem sollicitudinem a discipulorum cordibus eiecerit et ostensione signorum armaverit, atque ab omnibus negotiis saecularibus alienatos et ab omni temporalium rerum cura liberatos, ferreos quodammodo atque adamantinos fecerit, tum denique eventura illis adversa praedicit. Multa enim ex hac praedictione futurarum rerum commoda consequebantur. Primum ut eius praescientiae vim edisceerent. Denique ut nemo suspicaretur, ex magistri infirmitate tam gravia mala descendere. Praeterea ne qui ea passuri erant, subito atque inopinato rerum eventu perturbarentur. Denique ne cum ista sub ipsum passionis suae tempus audirent, nimium commoverentur.

Lectio VIII.

Iam vero, ut intelligant novum hoc esse belli genus, et insolitum praeliandi morem, cum illos nudos mitteret, una indutos tunica, sine calceis absque virga et absque zona et pera et ab excipientibus ali iuberet, non fecit hic dicendi finem; sed inexplicabilem virtutem suam proferens: Etiam sic euntes, inquit, mansuetudinem tamen ovium ostendite, quamvis ad lupos ituri, nec simpliciter ad lupos, sed etiam in medio luporum (neque vero ovium tantum mansuetudinem habere iubet, sed etiam columbae simplicitatem), sic enim virtutem meam maxime ostendam, cum ab ovibus lupi superabuntur: et quamquam illae sint in medio luporum et innumeris morsibus lacerentur, non modo non consumptae fuerint, verum etiam illos in sui naturam transmutaverint.

Lectio IX.

Maius certe atque admirabilius est mentem adversariorum commutare, et animum in diversum transferre quam illos occidere. Praesertim cum duodecim tantum essent, et lupis plenus esset orbis universus. Erubescamus igitur qui longe diversa facientes, tamquam lupi in adversarios ruimus. Nam quamdiu oves fuerimus, vincimus: etiam si mille circumstent lupi, superamus et victores sumus: quod si lupi fuerimus, vincimur. Tunc enim a nobis pastoris auxilium recedit, qui non lupos, sed oves pascit.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes et per Horas Antiph.

1. Ipse natus est homo firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.

2. Ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt.

3. Lex veritatis fuit in ore eius, et multos avertit ab iniquitate.

4. Invocavit Dominum omnipotentem in oppugnando hostes circumstantes undique in oblatione Agni inviolati.

5. Oculus Dei respexit illum in bono, et exaltavit caput eius.

HYMNUS.

Te, Pastor alme, turgidi
Non terret ira praesidis,
Non lictor, ensis, verbera,
Non dira imago funerum.

Noctis sub umbra, Fibridis
Oras cruore purpuras:
Palmas at ortas coelitus
Portenta cunctis nuntiant.

Coelo receptus patriae
Iam rebus adsis asperis,
Iram Dei flecte, hostium
Vires dolosque deiice.

Tuis sub alis, haeresum
Cohors furorque concidat;
Ubique patrum pristinos
Pax tuta mores excitet.

Te flante, castra milites
Christi triumphis augeant,
Victisque terrae praeliis
Coeli coronis fulgeant.

Laus et perennis gloria
Patri sit atque Filio
Sancto simul Paraclito
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Ad Benedictus. Ant. In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui: imitatores mei estote sicut et ego Christi.

In II. Vesperis. Antiph. de Laudibus, hymnus ut in Laudibus.

Ad Magnificat. Ant. Corona aurea super mitram eius expressa signo sanctitatis, et gloria honoris, opus virtutis.

MISSA.

Introitus. Eccli. 45, 19.

Factum est illi testamentum aeternum: fungi sacerdotio, et habere laudem et glorificare populum suum in nomine Domini.

Ps. 131. Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis eius.

Gloria Patri. Factum est.

Oratio.

Deus, qui Beato Valentino Martyri tuo atque Pontifici pastoralis ministerii sollicitudinem et fidei constantiam tribuisti: concede, ut qui eius patrocinio munimur in terris, eius quoque consortio aggregari mereamur in caelis. Per Dominum.

Lectio Epistolae Beati Pauli Apostoli ad Corinthios. I. Cor. 4, 9.

Fratres, puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit tamquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis et hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque

in hanc horam et esurimus et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur et benedicimus; persecutionem patimur et sustinemus: blasphemamur et obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. Non ut confundam vos haec scribo, sed ut filios meos carissimos moneo. Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi.

Graduale. Ps. 88. Posui adiutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea.

℣. Oleo sancto meo unxi eum, et brachium meum confortabit eum. Alleluia. Alleluia.

℟. Is. 37, 35. Protegam civitatem istam, ut salvem eam propter me, et propter David servum meum, dicit Dominus. Alleluia.

In Septuagesima.

Tractus. Ps. 70, 17. Deus, docuisti me a iuventute mea, et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

Ps. 39, 11. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi.

Ps. 22, 5. 6. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me:

Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam praeclarus est.

Temp. Pasch.

Alleluia. Alleluia.

Eccli. 24, 3. In medio populi sui exaltabitur, et in multitudine electorum habebit laudem. Alleluia.

Sap. 10, 12. Certamen forte dedit illi Deus, ut vinceret. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 10, 16.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos: et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient: et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Offertorium. Eccli. 50, 12.

In ascensu altaris sancti gloriam dedit sanctitatis amictum: et effudit in fundamento altaris odorem divinum.

Secreta.

Suscipe, Domine, quaesumus, pro peccatis nostris sanctam Unigeniti Filii tui oblationem, cuius virtute gloriosus Antistes et Martyr Valentinus hostiam se tibi placentem in odorem suavitatis exhibuit. Per eumdem Dominum.

Communio. Sap. 10, 14.

In vinculis non dereliquit illum Dominus, donec afferret illi sceptrum regni, et dedit illi claritatem aeternam.

Postcommunio.

Sumpto pignore salutis aeternae, te, Domine, humiliter exoramus: ut meritis et precibus Beati Valentini Martyris tui atque Pontificis, quem Patronum colimus, in fide nos et caritate confirmes, et a saeculi iniquitate custodias. Per Dominum.

---

Ita reperitur in Actis et Regestis Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis.

In fidem etc.

Ex eadem Secretaria hac die 31. Martii 1905.

**D. Panici**, Archiep. Laodicen., Secret.

Selbſtverſtändlich iſt dieſes Officium und Meßformular nur für die dem Biſchof und Märtyrer Valentinus geweihte Pfarrkirche St. Valentin bei Süſſenheim genehmigt.

---

## 46.

## Die Vertretung kirchlicher Inſtitutionen bei Rechtsſtreitigkeiten.

In Gemäßheit des Erlaſſes der hochlöblichen k. k. Statthalterei vom 15. April 1905, Z. 17.960 wird den wohlehrwürdigen Pfründen- und Kirchenvorſtehungen hiemit unter Hinweis auf die hierämtliche Verordnung vom 25. Oktober 1901, Z. 3500 (Kirchl. Verord.-Blatt Nr. XII, Abſ. 72) in Erinnerung gebracht, daß in Fragen, welche das Stammvermögen, Eigentumsrecht und Erbſchaften von Pfründen, Kirchen und Stiftungen betreffen, die Vertretung dieſer Inſtitutionen auf Grund der Dienſtes-Inſtruktion (Verordnung des Geſamtminiſteriums vom 9. März 1898, Kirchl. Verord.-Bl. Nr. 41) der k. k. Finanz-Prokuratur zukommt.

Nach § 1 a, Z. 1, und § 2 b, Z. 9 der erwähnten Dienſtes-Inſtruktion ſind die Finanz-Prokuraturen ausſchließlich berufen, Kirchen und Pfründen, ſoweit es ſich um die Integrität des Stammvermögens handelt, vor Gericht insbeſondere in Rechtsſtreiten zu vertreten.

Wenn nun in einzelnen Fällen den kirchlichen Organen die Beſtellung eines Advokaten praktiſcher erſcheinen ſollte, ſo

haben dieſe Organe, um die kirchlichen Inſtitutionen vor möglichen Nachteilen zu bewahren (Verluſt des Rechtsſtreites wegen mangelnder Klagslegitimation), rechtzeitig an die Finanzprokuratur wegen Bevollmächtigung des betreffenden Advokaten ſich zu wenden.

In Fällen, wo Gefahr in Verzug wäre, iſt ſich unmittelbar an die k. k. Finanzprokuratur zu wenden, wobei eine möglichſt genaue Information mitzugeben iſt, in anderen Fällen aber hat dies im hierämtlichen Wege zu geſchehen.

## 47.

## Zur Behandlung des Gebührenäquivalentes in Interkalarrechnungen.

Vonſeiten der hochlöblichen k. k. Statthalterei iſt unter dem 11. April 1905, Z. 5655 nachſtehender Erlaß behufs Veröffentlichung anher überſendet worden.

„Anläßlich vorgekommener Fälle, daß in den Interkalarrechnungen einiger weltgeiſtlicher Pfarrpfründen, deren Adminiſtrativkoſten (Gehalte und Remunerationen der Proviſoren) das Interkalarerträgnis weit überſteigen, das Gebührenäquivalent als Ausgabe paſſiert und auf dieſe Weiſe dem Religionsfond angelaſtet wurde, hat das k. k. Miniſterium für Kultus und Unterricht mit dem Erlaſſe vom 23. Jänner 1905, Z. 4480 ex 1903 aufmerkſam gemacht, daß das Gebührenäquivalent an vakanten Pfründen nach Ablauf der Interkalarzeit vom Religionsfonde inſoweit einzuheben iſt, als vom Reinertrage des Benefiziums nach Abrechnung der für den Adminiſtrator beſtimmten Entlohnung zu Gunſten des Fondes noch eine Quote erübrigt.

Jedoch hat die Heranziehung des Religionsfondes zur Entrichtung des Gebührenäquivalentes nur rückſichtlich jener Kurat-Benefizien zu entfallen, welchen die perſönliche Befreiung zuerkannt iſt. In ſolchen Fällen iſt daher von der Paſſierung einer Ausgabe für das Gebührenäquivalent in den Interkalarrechnungen ſchon aus dieſem Grunde abzuſehen, während in den Fällen, in welchen die Pfründeninhaber eine geſetzliche Befreiung geltend zu machen unterlaſſen haben, ſeitens des k. k. Finanzminiſteriums an dem Grundſatze feſtgehalten wird, daß im Sinne des § 29, alinea 2 der Verordnung vom 25. Mai 1890, Nr. 101, R.-G.-Bl. bezw. § 38, alinea 2 der Verordnung vom 14. Juli 1900, R.-G.-Bl. Nr. 120, das Gebührenäquivalent in dieſen Fällen nach Beendigung der Interkalarzeit für die ganze Dauer derſelben auf einmal dem Religionsfonde aufzuerlegen ſei.

Auch in dieſen Fällen hat hienach der Proviſor eine Einzahlung überhaupt nicht zu leiſten.

Hievon beehrt ſich die k. k. Statthalterei mit Beziehung auf das hierämtliche Schreiben vom 23. November 1893, Z. 29.263 zur gefälligen entſprechenden Verlautbarung Mitteilung zu machen.

Der k. k. Statthalter:

**Clary** m. p."

Demzufolge wollen die wohlerwürdigen Inhaber von im Erlaſſe berührten Pfarrpfründen darauf acht haben, daß ſie ſich rechtzeitig die Zuerkennung der perſönlichen Befreiung von der Einzahlung des Gebührenäquivalentes verſchaffen und die betreffende Urkunde ſorgfältig aufbewahren.

Dadurch werden Irrungen in den Interkalarrechnungen vermieden und die Rechnungslegungen vereinfacht, da die Proviſoren keine Ausgaben auf Rechnung des Gebührenäquivalentes zu machen haben.

Bei Pfründen, die keinen Anſpruch auf perſönliche Befreiung des Inhabers machen können, iſt aber das Gebührenäquivalent nach wie vor auch für die Zeit der Vakatur derſelben in den Interkalarrechnungen in Ausgabe zu ſtellen, beziehungsweiſe wird bei der Prüfung der Interkalarrechnung paſſiert.

## 48.

## Bekanntgabe der Konſervatoren für das Jahr 1905.

Die hochlöbliche k. k. Zentral-Kommiſſion für Kunſt- und hiſtoriſche Denkmale hat das Verzeichnis der zu Beginn des laufenden Jahres aktiven Konſervatoren des Kronlandes Steiermark anher übermittelt, welches nachſtehend der hochwürdigen Seelſorgegeiſtlichkeit zur Kenntnis gebracht wird:

„F. B. geiſtl. Rat Johann Graus, Weltprieſter, Ehrendoktor der Wiener theologiſchen Fakultät, Dozent am F. B. Diözeſanſeminar in Graz (II für die Bezirkshauptmannſchaften Deutſch-Landsberg, Graz, Leibnitz, Voitsberg und die Stadt Graz) ſeit 1872, wiederbeſtätigt 3. Februar 1905, Z. 43.411 ex 1904.

Baurat Auguſt Gunolt, Fachvorſtand und Direktor an der Staatsgewerbeſchule in Graz (II für die Bezirkshauptmannſchaften Bruck a. M., Feldbach, Hartberg, Mürzzuſchlag und Weiz) ſeit 1894, wiederbeſtätigt 3. Februar 1905, Z. 43.411 ex 1904.

Dr. Johann Gutſcher, Gymnaſialprofeſſor in Graz (I für die Bezirkshauptmannſchaften Bruck a. M., Gröbming, Judenburg, Leoben, Liezen, Murau, Mürzzuſchlag) ernannt 8. Februar 1905, Z. 45.211 ex 1904.

Karl Lacher, Direktor des kulturhiſtoriſchen und kunſtgewerblichen Muſeums in Graz (II für die Bezirkshauptmannſchaften Gröbming, Judenburg, Leoben, Liezen und Murau) ſeit 1894, wiederbeſtätigt 3. Februar 1905, Z. 43.411 ex 1904.

*Profeſſor* Dr. *Arnold Luſchin Ritter von Ebengreuth*, Ritter des Ordens der eiſernen Krone, wirkliches Mitglied der kaiſ. Akademie der Wiſſenſchaften, Rektor und o. ö. Profeſſor an der Univerſität in Graz (II für die Bezirkshauptmannſchaften Luttenberg, Marburg, Pettau und Radkersburg ſowie für die Städte Marburg und Pettau) ſeit 1875, wiederbeſtätigt 3. Februar 1905, Z. 43.411 ex 1904.

*Emanuel Riedl*, Bergrat i. R., Cilli (I für die BHpt. Cilli, Gonobitz, Rann, Windiſchgraz und die Stadt Cilli) ſeit 1894, wiederbeſtätigt 9. Auguſt 1904, Z. 27.606.

*Johann Wiſt*, Profeſſor an der techniſchen Hochſchule in Graz (II für die Bezirkshauptmannſchaften Cilli, Gonobitz, Rann, Windiſchgraz und die Stadt Cilli) ſeit 1898, wiederbeſtätigt 26. Mai 1903, Z. 10.096.

Reg.-Rat Dr. *Joſef von Zahn*, Landesarchivar in Graz (III für das Kronland) ſeit 1875, wiederbeſtätigt 23. März 1900, Z. 3327.

Erledigt die Stelle:

I für die Bezirkshauptmannſchaften Deutſch-Landsberg, Feldbach, Graz, Hartberg, Leibnitz, Luttenberg, Marburg, Pettau, Radkersburg, Voitsberg und Weiz, ſowie für die Städte Graz, Marburg und Pettau."

Bei dieſer Gelegenheit werden die F. B. Pfarrämter im Sinne des Schreibens der hochlöblichen k. k. Statthalterei vom 9. März 1905, Z. 8409 neuerdings nachdrücklich angewieſen, bei allen Reſtaurierungsarbeiten an hiſtoriſch und künſtleriſch bedeutſamen Kirchenbaulichkeiten genaueſtens darauf zu achten, daß derartige Arbeiten nur im Einvernehmen mit der k. k. Zentralkommiſſion für Kunſt- und hiſtoriſche Denkmale in Wien vorgenommen werden, zu welchem Zwecke insbeſonders immer die zuſtändige politiſche Behörde I. Inſtanz über die jeweilig projektierten Bauherſtellungen ſeitens des betreffenden Pfarramtes in Kenntnis zu ſetzen iſt.

## 49.

## Internationaler Kongreß für gregorianiſchen Geſang in Straßburg.

Laut Mitteilung des Lokalkomitees für den internationalen Kongreß für gregorianiſchen Geſang in Straßburg in Elſaß vom 2. Februar 1905 wird auf Anregung der von Sr. Heiligkeit Papſt Pius X. eingeſetzten *Päpſtlichen Kommiſſion für die vatikaniſche Ausgabe der gregorianiſchen liturgiſchen Bücher* vom 16. bis 19. Auguſt d. J. unmittelbar vor der Generalverſammlung der Katholiken Deutſchlands in Straßburg ein *internationaler Kongreß für gregorianiſchen Choralgeſang* abgehalten werden.

Da Seine Heiligkeit Papſt Pius X. von dem Unternehmen Kenntnis hat und laut Apoſtoliſchen Breves vom 23. Jänner 1905 von demſelben eine energiſche Förderung ſeiner Anordnungen erwartet, ſo ſoll ſich der Kongreß zu einer impoſanten Manifeſtation geſtalten, die das Herz des Vaters der Chriſtenheit mit Freude und reichem Troſt zu erfüllen imſtande iſt. Insbeſondere ſoll dem Heiligen Vater der Beweis geliefert werden, daß man allüberall bereit iſt, wie bisher ſo auch in Hinkunft, ſeine Anordnungen für den Choralgeſang in ernſter kirchenmuſikaliſcher Arbeit zur Durchführung zu bringen.

Auch der Hochwürdigſte Herr Biſchof von Straßburg' Dr. Adolf Fritzen, hat der Veranſtaltung von Anfang an ſeine wärmſten Sympathien entgegengebracht und die Übernahme des Protektorates über den Kongreß gnädigſt zugeſichert

Es wird geſorgt werden, um die Verhandlungen des Kongreſſes ſo fruchtbar und ſegensreich wie nur möglich zu geſtalten; das vorbereitende internationale Komitee beabſichtigt insbeſondere, durch Aufführungen des Straßburger Domchores und durch Belehrungen anerkannteſter Fachmänner die Kirchenmuſiker in der Wertſchätzung und Liebe des gregorianiſchen Choralgeſanges aufs neue zu befeſtigen, damit ſie begeiſtert nach dem Willen des Heiligen Vaters in ihrem Wirkungskreis die Reform in Angriff nehmen und durchführen.

Im Hinblick auf die Konſtitution De cantu ecclesiastico et de musica sacra in Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 celebrata. Marburgi, 1904. Cap. LXXVII. Pagg. 573—590 werden die hochw. Herren Diözeſanprieſter, die ſich die Förderung des gregorianiſchen Choralgeſanges angelegen ſein laſſen, auf dieſen Kongreß aufmerkſam gemacht.

## 50.

## Zur Frage des Pflanzenſchutzes.

Die löbliche k. k. Vorſtehung der *Pflanzenſchutz-Station Wien II., Trunnerſtraße 1*, hat im März d. J. anher das Erſuchen geſtellt, nachſtehenden Aufſatz ins Kirchliche Verordnungs-Blatt aufzunehmen:

„Bedeutende Werte gehen den Land- und Forſtwirten, Wein- und Obſtbautreibenden dadurch verloren, daß die zahlreichen tieriſchen und pflanzlichen Feinde der Kulturgewächſe nicht erkannt, oder nicht rechtzeitig und mit den richtigen Mitteln bekämpft werden. Um dieſem Übel einigermaßen entgegenzutreten, hat das k. k. Ackerbau-Miniſterium die k. k. landwirtſchaftlich-bakteriologiſche und Pflanzenſchutz-Station in Wien ins Leben gerufen, welche angewieſen worden iſt, *koſten*-

frei Auskünfte in allen Angelegenheiten des Pflanzenſchutzes zu erteilen.

Die k. k. landwirtſchaftlich-bakteriologiſche und Pflanzenſchutz-Station beſtimmt daher nicht nur die Art der eingeſendeten Pflanzenſchädlinge, ſondern erteilt auch Rat über deren Bekämpfung und leitet auf Wunſch etwa erforderliche größere Aktionen für die Bekämpfung von Pflanzenſchädlingen.

Auch unterſucht die k. k. landwirtſchaftlich-bakteriologiſche und Pflanzenſchutz-Station ihr eingeſendete Bodenproben auf darin vorkommende Schädlinge oder die bakteriellen Eigenſchaften.

Um überflüſſigen Briefwechſel und Verzögerungen zu vermeiden, iſt es angezeigt, das der Station einzuſendende Materiale je nach der Art desſelben zu verpacken. So ſoll die Verpackung und Abſendung kranker Pflanzen und eingeſammelter Schädlinge, wenn dies irgendwie möglich iſt, ſo geſchehen, daß die Gegenſtände noch im lebenden Zuſtand in der Anſtalt eintreffen. Pflanzen werden am beſten in feuchtem Moos, Inſekten in gut verſchloſſenen Gläschen, eventuell in Alkohol verſendet.

Jeder Sendung iſt eine möglichſt eingehende Beſchreibung der gemachten Beobachtungen bezüglich des Auftretens des Pflanzenſchädlings beizulegen.

Auf Wunſch werden in jedem einzelnen Falle Fragekarten geſendet, in denen die wichtigſten Fragen formuliert ſind.

Weil aber die k. k. landwirtſchaftlich-bakteriologiſche und Pflanzenſchutz-Station auch die Grundlagen für eine Statiſtik der Pflanzenkrankheiten zu legen verſuchen will, fordert ſie alle Jene, welche ſich in den Dienſt des Pflanzenſchutzes ſtellen wollen, auf, ſich bei der k. k. landwirtſchaftlich-bakteriologiſchen und Pflanzenſchutz-Station als „ſtändige Mitarbeiter" zu melden.

Die näheren Obliegenheiten dieſes Ehrenamtes werden dann von Seite der k. k. landwirtſchaftlich-bakteriologiſchen und Pflanzenſchutz-Station den einzelnen Kompetenten mitgeteilt werden. Dieſe ſtändigen Berichterſtatter können ſich, inſolange ihr Verhältnis zur Station fortdauert, „Berichterſtatter der k. k. landwirtſchaftlich-bakteriologiſchen und Pflanzenſchutz-Station" nennen und haben ein Recht auf den unentgeltlichen Bezug aller von dieſer Anſtalt ausgehenden Veröffentlichungen.

Adreſſe: K. k. Pflanzenſchutz-Station in Wien II. Trunnerſtraße 1.

Wien, im März 1905.

Der k. k. Vorſteher:
**Dr. Karl Kornauth.**"

## 51.
## Literatur.

Zur Beſtellung und Weiterverbreitung werden hiemit dem hochwürdigen Seelſorgeklerus empfohlen:

1. Liebe Kinder, betet an! Ein für Kinder paſſendes Gebet- und Andachtsbuch, zuſammengeſtellt von Martin Hölzl, Kooperator in Altenmarkt bei Radſtadt (Salzburg). Druck und Verlag von Karl Aug. Seyfried & Komp. in München. 132 Seiten.

2. Magazin für volkstümliche Apologetik. Herausgeber Ernſt H. Kley. Ravensburg. Verlag von Friedrich Alber. IV. Jahrgang. Zutreffend für gebildete katholiſche Vereine. Jährlich 12 Hefte. Preis Mark 3·20.

3. Katholiſche Zehnpfennigbibliothek. Zu beziehen durch die katholiſche Verlagshandlung Eberle und Rickenbach in St. Ludwig (Elſaß). Die Wahl der Manuſkripte befindet ſich in den Händen eines um die Jugend und Volksliteratur hochverdienten geiſtlichen Schriftſtellers. In der gleichen Verlagshandlung erſchien das von einem Ordensmann verfaßte Firmungsbüchlein: Der Schüler des heiligen Geiſtes.

## 52.
## Diözeſan-Nachrichten.

**Inveſtiert** wurde Herr Kaſpar Zernko, Pfarrer in Stoperzen, auf die Pfarre Hl. Maria in der Wüſte.

**Beſtellt** wurde Herr Jakob Marinič, Pfarrer in Monsberg, als Mitproviſor der Pfarre St. Anton in Stoperzen.

**Wiederangeſtellt** wurde Herr Johann Lorbek, Proviſor in hl. Maria in der Wüſte, als Kaplan in Greis.

**Überſetzt** wurde Herr Kaplan Rudolf Kociper von Greis nach Schleiniz bei Cilli.

## F. B. Lavanter Ordinariat zu Marburg,
am 15. Mai 1905.

† Michael,
Fürſtbiſchof.

St. Cyrillus-Buchdruckerei.